

269. Principium VI. *Subjectum capax Eucharistiae recipienda est omnis homo viator baptizatus et rationis compos; ad quam digne suscipiendam requiritur dispositio corporis et animae.* Probatur primum: quia qui libet talis de se est capax augmenti gratiae, quod per Eucharistiam conferitur, si scil. rite dispositus sit. Porro licet infantibus Eucharistia olim data fuerit, propter quem morem, ut ait *Trid. sess. 21. C. 4.*, non est dannanda antiquitas; hodie tamen ex gravi et justo praecepto in Ecclesia latina non datur parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, sive ante sufficientem rationis usum, quo possint cibum hunc spiritualem ab alio cibo corporali et communi discernere, seque per actus supernaturales ad ejus fructum percipiendum disponere. *Ratio est*, quia partim Eucharistia infantibus necessaria non est, ut probavi n. praecedenti, et amplius constat ex *Trid. sess. 21. Can. 4.* *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessarium esse Eucharistiae communionem, anathema sit;* partim quia dignitas hujus Sacramenti, et reverentia illi debita majorem exigit in subjecto dispositionem, quam a parvulis ordinarie possit exspectari. Accedit quod Sacramentum Eucharistiae, licet in parvulis gratiam possit augere, pro iis tamen proprie institutum non sit; institutum enim est tanquam spiritualis alimonia, restaurans vires animae, quae tum per concupiscentiae fomitem, tum per externas hostium insidias debilitantur, quae ratio non infert necessitatem in parvulis; hi enim *per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt*: ut loquitur *Trid. l. c. C. 4.* Addit *Laym. L. 5. t. 4. c. 4. n. 3.* certum ac determinatum annum aetatis definiri non posse, quo pueri et puellae ad S. Eucharistiae sumptionem idonei sint, sed aestimandum id esse prudentum parentum, Confessariorum, et praecipue Parochi, atque moderatorum judicio; ac proinde ad prudens hac super re judicium ferendum, ejusmodi parvulorum capacitas non ex sola aetate, sed etiam ex ingenii, morum constitutione, ac praesertim ex locorum consuetudine aestimanda est; nam alii citius, scil. circa annum nonum aut decimum, alii serius circa annum decimum quartum sufficientem rationis usum et spiritualis hujus cibi intelligentiam assequuntur. Neque dicendum, quod pueri statim ac pervenerunt ad eam aetatem, in qua possent licite ad Eucharistiam sumendum accedere, ad id obligentur, sed post aliquod tempus, v. g. post unum alterumve annum, ut probat *Suarez* hic Disp. 70. Sect. 1. ex usu Ecclesiae, et ratione.

270. *Probatur etiam secundum.* Ad dispositionem corporis requiritur primo sub gravi praecepto Ecclesiastico jejunium naturale, quod in eo consistit, ut nihil omnino per modum cibi, vel potus, vel medicinae a media nocte praecedente sacram communionem ab ore in stomachum trajiciatur.

Patet ex perpetua praxi Ecclesiae, et continua ss. Patrum doctrina, variorumque CC. definitione; ut ostendit *Suarez* hic D. 68. sect. 3. *Confirm.* ex s. Aug. Epist. 118. ad *Januarium*: *Placuit Spiritui S., ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi: nam ideo per totum orbem mos iste servatur.* In Conc. Carthaginensi III. c. 48. dicitur haec consuetudo sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse in Concilio Nicaeno confirmata. Praeterea ex Ecclesiae sensu et consuetudine, et ex Conc. Tolet. VII. cap. 2. patet, quod in hoc praecepto non detur parvitas materiae. *Confirm.* ex Missali Rom. de defecibus n. IX. ubi expresse habetur: *Si quis non est jejunus post medianam noctem, etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacunque parva quantitate, non*

*potest communicare, nec celebrare.* Ratio horum desumitur a reverentia et honore Eucharistiae debito, ut coelestis hic cibus praferatur cuilibet cibo ac potui terreno: ut fideles assuescant discernere inter hunc divinum, et alios communes cibos; denique ut discant fideles, quod Christus beat esse primus ac primarius cibus animae.

*Secundo.* Ex parte corporis requiritur exterior habitus et corporis compositio, quae internam animi reverentiam et devotionem exhibeat; quia huic sanctissimo Sacramento non solum interna, sed etiam externa adoratio et reverentia summa debetur, in quo Christus mediantibus speciebus sensibili quodam modo existit. Porro quamvis sordes corporeae *per se* loquendo non impediunt a s. communione, cum primario requiratur mundities animae, decentia tamen exigit, ut ejusmodi sordes corporis, si facile possint tolli, tollantur, vel si brevi praevideantur cessare, et commode possit differri communio, semel aut iterum differatur; si vero diutius durent, vel mere occultae sint, ut contingit menstruatis, non est cur aliquis alimonia hac coelesti privetur. Ita *Antoine de Euchar. c. 2. q. 4.* Non licet autem sacram Eucharistiam sumere, si sit periculum evomendi, ob gravem irreverentiam: plura in §. seq.

271. *Declaratur tertium de dispositione ex parte animae.* Ad hanc requiritur sub gravi peccato status gratiae, ita ut communicans cum conscientia peccati mortalis grave peccatum sacrilegii indigne communicando committat. Unde qui sibi conscientius est peccati mortalis, tenetur ante s. communionem *per se* loquendo confiteri. *Probatur prima pars* ex 1. Cor. 11. v. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* v. 29. *Judicium sibi manducat.* Atqui accedens cum conscientia peccati mortalis, et nondum per poenitentiam sublati, manducat indigne; ergo. *Confirm.* 1. Accedens in statu peccati mortalis gravem injuriam ac irreverentiam committit in Christum, eum suscipiendo in statu inimicitiae et peccati, quod ei summe displicet. Hinc S. Th. hic q. 80. a. 5. ad 1. ait, *quod peccatum indigne sumendum hoc Sacramentum comparetur peccato occidentium Christum, secundum similitudinem, quia utrumque committitur contra Corpus Christi.* Ibid. ad 2. dicendum, *quod fornicator, accipiens Corpus Christi, comparatur Judae Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis, quia uterque ex signo charitatis Christum offendit.* Verbo: ille sacrilegium eo committit gravius, quo sanctior est persona vel res sacra, quam indigne tractat; atqui in statu peccati mortalis sumens Corpus Christi personam ac rem sanctissimam indigne tractat; ergo committit sacrilegium gravissimum. *Probatur etiam secunda pars de praemittenda confessione* ex *Trid. sess. 13. C. 7.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum (1. Cor. 11. v. 28.): *Probet autem se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscientius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris; quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Vide hic propos. 38. et 39. ab Alex. VII. damnatas. Idem statuitur in eadem sess. 13. Can. 11. ubi subnectitur: *Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praeumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Dixi supra, *per se* loquendo: quando enim urget necessitas communicandi, et deest copia Confessarii,